

sunt, tunc multam etiam placeant, cum in universum aliquid conveniunt, atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. Et vero, fructus hujus pacis ex ipsa similitudine cum pace externa satis colligi potest: ut enim concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur; ita id ipsum de pace interna cum divitiis, et opibus spiritualibus comparata dici potest. S. AUG., l. I, de *Genes. contra Manich.*, c. XXI.

Tertium est, ut fortiter rejicere norit potissima impedimenta pacis, quorum quatuor quidem assignat S. Bernardus, scilicet culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, et tribulationem cruciantem; sed forte omnia ad inordinatam concupiscentiam reduci possunt juxta illud S. Jacobi: Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. JAC., IV, 4. Et hoc est, quod pius Auctor indicare voluit, dicens: « Juvat igitur non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta, et decisa ex corde radicibus. Nec diu stabit pax illa quæsita forinsecus, si vacat a vero fundamentum status cordis. L. III, c. XXVII, § 3.

Quartum est, ut etiam adjumenta ad dictam pacem conducentia noverit, quæ quidem pariter ad quatuor capita revocabit pius Asceta, dum dixit: Fili, nunc docebo te viam pacis, et veræ libertatis. Stude alterius potius facere voluntatem, quam tuam. Elige semper minus, quam plus habere. Quære semper inferiorem locum, et omnibus subesse. Opta semper, et ora ut voluntas Dei integre in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis, et quietis. L. III, c. XXIII, § 4.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Sapienter pronuntiavit Seneca: « Omne hoc, quod vides, quod divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni » Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem et in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit. SENEC., ep. LXXIII.

D. Anselmus concordiam perapposite Or-

gano comparavit, cui hoc lemma superne inscripsit: In uno spiritu omnes nos, infra vero: Conspirat amice. S. ANSEL., l. *Simil.*

Melchisedech Rex justitiæ, et Rex pacis vocatus est, quia quisquis justitiam habet, comite ejus pace carere non potest. GRANAT., *Loc. com.*, f. 344.

Philo dicebat, pacem maximum, et divinum esse bonum, quod nullus mortalium præstare potest. ANTON., s. de *Char.*

In Æthiopia tanta copia anguium reperitur, ut, quoniam in gyrum convolvuntur, montium speciem replant; quæ causa forte fuit, ut caduceum in pacis, et concordie argumentum effigie anguium exteræ gentes cingant. VAL., l. XV, pag. 145.

NECESSITAS. — Animalia in Arca Noe, etiamsi natura sua fera, et indomita fuerint, quamdiu tamen in Arca manserunt, mansueta et pacifica fuere; idem faciendum Christianis, si in Ecclesiæ arca manere volunt. STAPLET., tom. IV, in *Fest. Pen.*

UTILITAS. — Ut circumspiciamus omnia, quæ populo grata sunt atque jucunda, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium reperimus. CICERO, *Pro lege.*

Nihil perniciosius civitati, quam divisio, ut nihil melius, quam unio. AGRARIA.

Nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris. Pax est tranquilla libertas. PLATO, de *Republ.*

Pacem, si sine vitis veniret, et celestem munus, et secundum nulli bonum fateor. Raro autem sine vitis venit. CICERO, in *Philipp.*

Romæ olim templum magnificentissimum Pacis extractum fuit, in quo sacellum Deæ Vitiplacæ erat, ad quod vir, et uxor, exorto jurgio, conveniebant, et quæ voluerant locuti, contentione deposita, concordem revertebantur. PETRAR., *Dial. cvl.*

Vespasianus, ut significaret, pacem esse matrem abundantie, nummis duas spicas et duabus manibus conjunctis egredientes insculpi jussit. VAL. MAX., l. II, c. 1.

Sertorius Dux Romanus, ut doceret exercitum Romanum per partes convelli posse, duos equos, validissimum unum, alterum debillissimum proposuit, et hujus caudam a fortissimo juvene evelli, illius vero a senibus paulatim per partes auferri jussit, quod isti facile, non autem juvenis potuit. FAB., concio. VI, in *Fer. 3 Pasch.*; VAL. MAX., l. VII, c. III.

## AUCTORES.

Henricus Engelgrave, in *Cælo Empireo in Festo Pentecost.*

Mathias Faber, conc. 1, in *Dom. 1 post Pascha*, et *fer. 3 Pasch.*, conc. VI.

Thomas Stapletonus, them. III, *Dom. 3 Quadr.* et them. III, *Dom. 3 Pent.* Item *Dom. 1 post Pascha*, them. II, et *Dom. Pent.*, them. IV.

Laurentius Beyrlink, in *Promptuar.*, them. VIII, in *Festo Omnium Sanctorum.* Item, in *Theatro vita humanæ.* Vide eodem. Josephus Langius, in *Polyanth.* V. eod.

Ludovicianus Granatensis, in *Locis communib.* fol. 339.

## PECCATUM.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est juxta S. Thomam, actus devians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. S. TH., II, 2, qu. 163, ar. 1 et 4, 2, q. XXI, ar. 1. Vel aversio ab incommutabili bono, et conversio indebita ad commutabile bonum, juxta Sanctum Augustinum. S. AUG., l. de *Lib. arbit.* Aut juxta eundem: Est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. IS., lib. XXII, *cont. Fon.* Aut cum Jacobo Alvarez, ac Theologis, est actio libera debita rectitudine carens, qua quis legem se obligantem transgreditur. JAC. ALVAR., l. I, p. c. 1. Quomodo enim effigies peccatum artis est, si regulis artis ac exemplari non consentiat; ita et humana actio peccatum moris est, si a dictamine rectæ rationis et legis divinæ, quæ sunt exemplar, et regula recte vivendi, discedat. Unde S. Dionysius Areopagita sic illud describit: Peccatum est malum, privatio et defectio, infirmitas, inconvenientia, atque frustratio, et destinatione, pulchritudine, vita, sensu, ratione, perfectione ac sede, et causa privatim, indefinitum, infœcundum, otiosum, imbecillum, inordinatum, dissimile, infinitum, tenebrosum, carensque substantia, et ipsum nullo modo, nusquam et nihil existens. S. DIONYS., de *Divin. nom.*, c. IV, p. IV.

Distinguitur peccatum a « crimine, » sicut excedens ab excessu; eo quod « crimine » peccatum aliquod grande significet, peccatum autem, et gravia et levia peccata involvat. Hinc S. Augustinus ait: Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen etiam est omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivit, inveniri posse dicimur sine crimine: peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, ut ait S. Apostolus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

Distinguitur quoque peccatum a « vitio, » quia peccatum significat operationem, et actum malum « vitium » vero habitum, qui ad actum vitiosum inclinatur, significat, quod quidem vitium sanctus Bernardus sequentibus verbis optime depinxit. Vitium est privatio virtutis cujus vastitas et enormitas tanta est, ut obruat, et opprimat: fœditas tanta, ut inquinat et inficiat: adhæsiō tam pertinax consuetudinis, ut vix a se eam natura excutiat. Vitium est quasi corruptus humor, qui non in corpore, sed in anima morbos peccatorum procreat, plagas et fœda vulnera generat et spirituales salutem dominari non sinit. Vitium est radix mortis, omnium malorum origo, quia est origo peccati, in quo omnium malorum cumulo invenitur. Vitium est indicium infamie, et signum ignominie, quod illo affectos a nobilitate, idest studiosorum, ac perfectorum hominum consortio repellit. Vitium est sordidum indumentum, quod nos ad nuptiasagni vocatos, illius convivio et mensa reddit indignos. Vitium est catena et vinculum, animam in carcere rerum terrenarum ritinens. Vitium est laqueus, de quo dictum est: In via hæc, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi, quod nos fervos Adversarii humani generis ac mancipia constituit. Vitium est dirus tyrannus, juxta S. Chrysostomum, qui nostram libertatem eripit, et operibus luti ac lateris satis laboriosis addicit. Vitiā hostes nostri sunt, et gentes nobis infestæ atque inimicæ, de quibus in *Deuteronomio* dictum est: Non inibis cum eis fœdus, nec miseraberis earum, neque sociabis cum eis conjungia. S. BERN., ad *Frat. de Monte Dei.*

Dividitur quinquè potissimum modis. 1. « Ab objectis: » et sic dividitur n



« carnalia, » et « spiritualia, » juxta illud Apostoli: Emundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus. Carnalia sunt, quæ circa bona sensibus apprehensibilia, puta cibum, potum, luxuriam versantur. Spiritualia sunt, quæ circa bona insensibilia v. g. honorem, potestatem occupantur.

Secundo dividitur « ratione originis, » in « habituale, actuale, originale. » « Habituale » est, quod nullam amplius physicam, sed morale tantum existentiam habet, et ratione hujus existentie perinde hominem afficit ac denominat, ac si actu existeret. « Actuale » est, quod a propria voluntate committitur, et actu etiamnum existit. « Originale » est, quod a primo parente Adamo per carnalem propagationem hæreditatur.

Tertio dividitur « ratione legis » in peccatum « omissionis, » et « commissionis. » Illud est, quod contra legem aliquid affirmantem aut imperantem committitur, ut cum quis parentibus debitum honorem non exhibet. Hoc est, quod cum lege aliquid prohibente pugnat, ut cum quis homicidium aut adulterium committit.

Quarto dividitur « ratione eorum, » qui per illud offenduntur, in peccatum contra Deum, proximum, et seipsum; quam divisionem S. Paulus indicasse videtur, dum dixit: Sobrie, et pie et juste vivamus in hoc sæculo: sobrie scilicet quoad nos: juste quoad proximum: pie quoad Deum.

Quinto dividitur ratione « reatus » in « mortale et veniale. » Illud est, quod mortem animæ infert, et æternam damnationem annexam habet: atque adeo, teste Richardo non sine grandi corruptione sui, sine gravi læsione proximi, et sine magno contemptu Dei committi potest. Istud est, quod, quantum est in se, amicitiam Dei minuit quidem non tamen omnino tollit, nec vitam spiritualem gratiæ aufert; unde morbo decorem auferentis, aliosque effectus similes producenti comparatur; mortale vero peccatum ipsi mortis, a quo nomen hausit, æquiparatur.

Pleraque hæc peccata in alias species dividuntur, nimirum. 1. In « proprium, » quod nos ipsi committimus: et « alienum » quod ab alio quidem perpetratur, sed a nobis sive propter approbationem, sive propter consilium, aut consipientiam, aut aliam similem causam participatur. 2. In peccatum « per se, » quod « ex genere suo aut natura » mortale vel veniale est; et per « accidens, »

quod propter circumstantiam aliquam, aut finem superadditum speciem suam mutat, et ex mortali veniale, aut vicissim evadit. 3. In « internum, » quod sola interiori voluntate peragitur: et « externum, » quod etiam actionem quamdam ad exteriora secum trahit; et in peccatum « oris, et operis » subdividi potest. 4. In affectatum, » quod pura, plena, et deliberata voluntate committitur; et « non affectatum, » quod cum ignorantia, inadvertentia, aut metu culpabili patrat. RICHARD., de *Disser. mor. et ven. pecc.*

In specie vero peccati venialis, (quod definitur: « Actio libera, diclamini quidem rationis, et jussioni legis adversa, ac ob id Deo invisa; sed quæ ob sui parvitatem, nec vitam spiritualement animæ auferat, neque hominem a regno cœlesti excludat, nec æternis cruciatibus destinet, licet juxta suæ malitiæ quantitatem temporalem penam puniat) tria assignantur genera, de quibus dicit Apostolus: « Si quis edificaverit super fundamentum hoc, » scilicet fidei, « ligna, fœnum, stipulam, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit; sicut tamen quasi per ignem. » Nota, lignum, fœnum, stipulam: Hæc tria significant, tria peccata venialia. Lignum, quod difficiliter comburitur, quam fœnum, significat peccata venialia majora, quia pro talibus multum sudat in purgatorio, fœnum quod citius comburitur, venialia peccata mediocria. Stipula idest palea significat peccata venialia minima, de quibus statim purgantur, et purificantur, transeundo per purgatorium. JAC. ALV., t. II, l. 1, p. 1, c. 1, fol. 15; S. VINCENT. FERR., *Dominic. 2 post Pent.*

S. Augustinus longum culparum venialium in specie textit catalogum, dum in sermone quodam ita scribit: Quæ sunt minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit, quam necesse sit, ad minuta peccata noveris pertinere. Quoties plus loquitur, quam oportet, aut plus tacet, quam expedit. Quoties pauperem importune petentem exasperat. Quoties, cum corpore sit sanus, aliis jejulantibus, prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit. Quoties excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausus, et in vinculis positus, tardius requisivit. Quoties

infirmos tardius visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit, si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperavit, quam oportet: si amplius fuerit blanditus, quam expedit; si cuiquam majori personæ, aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit; si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium sumptuosa, aut deliciosa sibi convivium præparaverit; si se in Ecclesia, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die judicii ratio reddenda est, occupaverit. Si dum incaute juramus, et cum hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique pejeramus. Et cum omni facilitate vel temeritate maledicimus: (leviter intellige) cum aliquid suspicamur temere quod tamen plerumque non ita, ut credimus comprobatur; hæc et his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quibus licet occidi animam non credamus, tamen eam, velut quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabiæ replentia, deformem faciunt.

ACTUS. — Primus est: « illicitam objecti alienius concupiscentiam concipere. » De quo actu S. Jacobus locutus est, cum dixit: Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim inimicum tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua, abstractus, et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. JAC., l. XIV.

Secundus est: « delectari in objecto aliquo illicito: » veluti cum quis voluntarie et cum gustu, concupiscentiæ objecti illiciti immoratur.

Tertius est: « consensum præbere » ad persecutionem objecti illiciti, vel fugam alienius rei præceptæ, de quo consensu locutus est S. Gregorius, dum dixit, in suggestionem semen, in delectatione nutrimentum, in consensu perfectionem inesse peccati. S. GREG., ad *inter. S. Aug.*

« Ipsum opus externum admittere consensui: » id quod prioribus octo præceptis Decalogi ferè prohibetur.

« Consuetudinem ex actibus frequentatis contrahere: » de qua S. Isidorus sic loquitur: Istis fomilibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum. Cogitatio namque prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio

consuetudinem, consuetudo necessitatem, sicut his vinculis homo implicatus, quædam catena vitiarum adstrictus tenetur, S. ISIDOR., lib. II, de *Sum. bon.*, c. xxxi, uti de seipso fassus est S. Augustinus, dum dixit: Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catena fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et, dum servitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi anulis quibusdam sibi me innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstructum dira servitus. S. AUG., l. VIII, *Conf.*, c. v.

#### EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Error, et tenebræ peccatoribus concreatæ sunt: qui autem exultant in malis, consenescent in malo. ECL., xviii, 16. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo? I REG., ii, 23.

Duo genera abundant in peccatis. Anima callida, quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat; et homo scortator, qui corpore carnis suæ non conquiescit, donec ignem succenderit. ECL., xxii, 21.

Non est homo justus in terra, qui faciat bonum (semper) et non peccet (aliquando.) ECL., vii, 21.

Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus. I JOAN., iii, 8 et 4.

Sensus, et cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua. GENE., viii, 21.

Egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Filii Sion inelyti, et amici auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Nazarethi candiores nive, nitidiores lacte, rubundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: denigrata est super carbonem facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. Abalienati sunt in confusionem, et facti sunt



abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. *THREN.*, I, 6 et c. *IV*, 1, *OSEÆ*, IX, 10.

Ece enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. *PSAL.*, I, 7.

Facti sumus omnes nos ut immundus, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ: et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. *ISAL.*, LXIV, 6.

Qui faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. *TOR.*, XI, 10.

QUALITAS PECCATI MORTALIS. — Lucerna impiorum peccatum. *PROV.*, XXI, 4.

Ece vos omnes accendentes ignem, accineti flammis, ambulate in lumina ignis vestri, et in flammis, quas succendistis. *ISAL.*, L, 11.

Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas. *ECLL.*, XXI, 4.

QUALITAS PECCATI VENIALIS. — Septies cadet justus, et resurgit. *PROV.*, XXIV, 16.

Qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. *LUC.*, XVI, 10.

Qui timet Deum, nihil negligit. *ECLL.*, VII, 19.

Non est homo, qui non peccet. *III REG.*, VIII, 46.

In multo offendimus omnes videlicet ctiannum. *JAC.*, III, 2.

DAMNUM PECCATI. — Scito, et vide quia malum, et amarum est relinquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. *JER.*, II, 19.

Ece non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: sed iniquitates et peccata vestra absconderunt vultum ejus a vobis, ne exaudiat. *IS.*, LIX, 1 et 2.

Si averterit se justus a justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. *EZECH.*, XVIII.

Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum. *PROV.*, XIV, 34.

Per quæ quis peccat, per hæc et punitur. *SAP.*, II, 17.

Super quæ perentiam vos ultra, addentes prevaricationem? omne caput languidum, et omne cor mœrens. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant. *IS.*, I, 5.

Pluet super peccatores laqueos, ignis est sulphur, pars calcis eorum. *PSAL.*, X, 6.

Per unum hominem peccatum in hunc

mundum intravit, et per peccatum mors. *ROM.*, V, 12.

Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt. *PSAL.*, CXVIII, 155.

Similiter odio sunt Deo impius, et impietas ejus. *SAP.*, XIV, 9.

Propter quod in ira Dei ad iracundiam provocastis Dominum, traditi estis adversariis. *BARUCH.*, IV, 6.

Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: justitia justus super eum erit, et impietas impii erit super eum. *EZECH.*, XVII, 20.

Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ a me constituta sunt, et ad irritum perducetis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate, et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras. Frustra feretis, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, et cornu velis coram hostibus vestris, et subjiciamini his, qui oderunt vos: fugietis, nemine persequente. Sin autem nec sic obediertis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra. *LEVIT.*, XXVI, 14.

Quotiescumque præter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, et in gladium, et in opprobrium. *JUDITH.*, IV, 18.

DAMNUM PECCATI MORTALIS. — Polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem. *EZECH.*, XXVIII, 49.

Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. *PSAL.*, LXXII, XIX, 20.

Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. *IS.*, LVII, 20.

Parturii in justitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem. *PS.*, VII, 13.

Vidit eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos. *JOB.*, IV, 8.

Contritio, et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei ante oculos eorum. *PS.*, XIII, 3.

Orientur in domibus ejus spinæ, et urticae: et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent dæmonia. *IS.*, XXXIV, 13.

Pavor his, qui operantur malum. *PROV.*, X, 29.

Abcondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. *ISA.*, LXIV, 7.

DAMNUM PECCATI VENIALIS. — Si quis superadificat super fundamentum hoc (Christum) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale manifestum erit. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. *I COR.*, III, 11.

A scintilla una augetur ignis. *ECLL.*, II, 34.

Ece quantus ignis quam magnam silvam accendit. *JAC.*, C, III, 5.

Qui spernit modica, paulatim decidet. *ECLL.*, XIX, 1.

Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti. *ECLL.*, CL.

Peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis (in Purgatorio) manus vestræ pollutæ sunt sanguine (peccati mortali) et digiti vestri iniquitate, seu peccato veniali. *IS.*, LIX, 2.

Pro mensura peccati erit et plagarum modus. *DEUT.*, XXV, 2.

Nescistis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? *I COR.*, V, 6.

Nihil coinquatum introibit in regnum Dei. *APOC.*, XXI, 27.

RELAPSUS IN PECCATUM. — Ece, sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *JOAN.*, V, 14.

Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestis, et participes facti sunt Spiritus S. gustaverunt nihilominus bonum verbum Dei, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam, rursus eriguntur sibi metipsi Filium Dei, et osulentui habentes. *HEB.*, VI, 4.

Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam, illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. *IS.*

Melius erat illis, cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato; contingit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. *II PET.*, II, 21.

Iniquitates suæ capiunt impium, et fu-

nibus peccatorum suorum constringitur. *PROV.*, V, 23.

Fili peccati, ne adicias iterum. Sed et de pristinis deprecare, ut dimittantur tibi. *ECLL.*, XXI, 1.

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas. *JER.*, II, 36.

Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. *HEBR.*, X, 27.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, etc. vadit et assumit alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. *MATT.*, XII, 43.

Si quæ destruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorum me constituo. *GALAT.*, II, 18.

FUGA. — De propitiato peccato noli esse sine metu: neque abjicias peccatum super peccatum; misericordia enim et ira ab illo cito proximant. *ECLL.*, V, 5.

Noli facere mala, et non te apprehendent. *ECLL.*, VII, 1.

Tanquam a conspectu serpentis fuge peccatum; nam si accesseris mordebit te. Dentes leonini sunt dentes ipsius, interficientes animas hominum. *ECLL.*, XXI, 2.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; peccatum enim vobis dominabitur. *ROM.*, VI, 12.

Cave, ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. *TOR.*, IV, 6.

Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo. *ROM.*, VI, 2.

#### EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. *S. AUGUST.*, super *Ps.* xxx.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dicit: Non sit, sed: Non regnet; inest peccatum, cum delectaris: regnat, cum consenseris. *IBID.*, super *Ps.* v.

Quicumque vitia habemus, et quocumque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus sum, ira mihi deus est. Vidi mulierem, et concupivi, libido mihi deus est.



Unusquisque enim, quod cupit, et veneratur, hoc illi deus est. S. HIER., super *Ps. LXXX.*

Tanto majus peccatum esse cognoscitur, quanto major, qui peccat, habetur; crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum, et saepe, quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur. S. ISID., de *Sum. bono. l. II, c. XVIII.*

Majoris est culpæ manifeste peccare, quam occulte: dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit, quia agit, et docet. IDEM, c. XX.

Non pertinet ad te, Domine, nec de tuis est, qui non diligit te; nec te diligit, qui te scienter offendit. S. AUG., in *Explic. ep. ad Rom.*

Bonus, etiamsi serviat, liber est; malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed quod est gravium, tot dominorum, quot vitiorum; de quibus vitium cum ageret divina Scriptura, a quo enim quis, inquit, devictus est, huic et servus addictus est. S. AUG., l. II, de *Civ. Dei, c. III.*

In rebus humanis nihil malum est dicendum, nisi peccatum solum, quod a bono Deo nos separans, malo facit diabolo comparari. AB. THEO., apud *Cass. coll. VI, c. III.*

Excepta S. Virgine Maria, si omnes illos sanctos, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, nisi quod Joannes Apostolus: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. S. AUG., l. de *Nat. et Grat., c. XXXVII.*

Singuli motus animi mei sunt, quaedam in te, Domine Deus, convitia, ut puta iracundiæ motus in mansuetudinam tuam, invidiæ in charitatem, turpitudinis in castitatem, et innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei etiam nunc incessanter ebulliunt, inundantes, et impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui. S. BERN., ep. XLII.

Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, et quemque putant contra se venire, et aliis inter se dissidentibus, peccati sibi ipsi conscii, putant illos de se sermocerari. Talis res peccatum est, nullo prodit argente, nullo condemnat accusante, pavidum facit et timidum peccatorem, sicut justitiam contrarium. Fugit, inquit Scriptura,

tura, impius, nemine persequente. Quomodo, persequente nemine, fugit? Intus habet agentem conscientiam accusatorem, et hunc ubique circumfert: et sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitantem, sed quocumque abeat, flagellatur, et vulnus habet immedicabile. At non talis justus. Sed qualis? audi: Justus tamquam leo, inquit, confidit. S. CHRYS., hom. VIII, ad *Pop.*

Omne malum aut timore, aut pudore natura perdidit. TERTUL., *Apoc., c. I.*

Omne malum aut timore, aut pudore natura perdidit. TERTUL., *Apoc., c. I.*

Et si multi gehennam omnium malorum supremum atque ultimum putant, ego tamen sic censeo, sic assidue prædicabo, multo acerbius esse, Christum offendere, quam gehennæ malis vexari. S. CHRYS., hom. XVII, in *Matt.*

Dicere possumus, omne peccatum esse mendacium, non enim peccamus, nisi voluntate, ut bene sit nobis, et tamen hinc male est nobis. S. AUG., l. XIV, de *Civ.*

Quisquis timore pœnæ adhuc bona agit, nondum penitus a malo recessit, quia eo ipso peccat, quod peccare vellet, si inulte posset. GREGOR.

Peccatum, quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo est, sed peccatum est, et pœna peccati. ID., l. XXIV, *Moral.*

Nonnunquam in parvo deterius quam in majore peccatur; major enim, quo citius culpa cognoscitur, eo etiam celerius emendatur; minor dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo securius, in usu venit. IDEM, in *serm. LIII.*

Peccare levius est, quam post peccatum non pudere. CRYSOST.

FUGA PECCATI MORTALIS. — Peccatum dæmone pejus ejiciamus. Dæmon siquidem nos omnino spoliat regno cœlorum, sed subinde fit, ut prosit modesto ac vigilantem. Peccatum vero omnino excludit. Voluntarius quippe dæmon est peccatum, spontanea insania. S. CHRYS., hom. XXVIII, in *Epist. ad Rom.*

Fugiamus peccata, et a via mala recedamus; si enim hæc fugerimus, etiamsi inter innumeros hostes fuerimus, nemo nos lædere poterit; si hæc non fugerimus, etiamsi ad ipsum verticem montium ascenderimus, hostes etiam illic innumerabiles reperiemus. ID., hom. VI, ad *Pop.*

FUGA PECCATI VENIALIS. — Minima neglecta eo turpius moribus maculam inge-

runt, quo vitari facilius cognita poterunt. S. BONAV., in *Prolog. spec. disc.*

Frontem meretricis habet, qui post divinam Majestatem intime cognitam, post amplissima ejus dona suscepta, post gustatam celestium contemplantionum suavitatem, audet, sciens et advertens aliquid Domino displicere, illud, licet levissimum, coram oculis sui Domini et Creatoris patrare. ALVAREZ, l. VI, c. IX, f. 61.

Divina vindicta ipsam (uxorem Lot) in salis materiam transmavit, ut ex hoc appareat, non qualitatem delicti debere quemquam intendere, sed divina jussa tota veneratione servare; nec debere hominem, quid jubeatur, expendere, sed magis, quis juse-rit, cogitare. S. CHRYS., de *Lev. pecc. peri.*

Quid prodest, quod nos pretiosis vigiliis, laboribusque conficimus, et ea, quæ maxime Deus noster desiderat, non habemus? Hoc est, cor mundum, et liberum ab istis minutis negligentiarum? EUSEB. EMISSEN., hom. VI, ad *Mona.*

Signum est amoris satis tepidi, velle amatum in solis rebus gravibus, et magni momenti non offendere, et in aliis, quæ non tanta severitate præcepit, ejus placitum ac voluntatem procaeter violare. ALVAREZ, l. c., c. XII.

DAMNUM PECCATI MORTALIS. — Qui semel in sinu mentis flagitii flammam ferventis adoleverit, cito vestimenta comburet. Et ut in stipulam ignis exiliens inhaeret, ac permanet, ut omne, quod corripuit, absumat; ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat. S. AMBR., in *Ps. I.*

Omnes sibi ignem succedunt, flammamque corroborant, habent enim in se fœnum, ligna, stipulam, spinas, et tribulos ac lolium, quæ æterno tradentur incendio, unde et in *Proverbiis* scriptum est: « In multis lignis viget ignis. S. HIERON., in c. I *Isaiæ.*

Fortia nimis sunt incendia peccatorum, quæ comparantur incendio calcis, quod lapides ipsos ita comburit, ut licet integri videantur, intus tamen dissoluti sunt, aut proximi dissolutioni. OLEASTER., ap. *Mansi, dis. II, n. 7.*

Usitatum est unicuique, ut in propria parochia sepeliatur: jus suum diabolus stricti sibi defendit, nec patitur eum, qui suæ debetur parochiæ, alio loco sepeliri. DID. STELLA, in cap. XVI, *Luc.*

Reus peccati plus de conscientia, quam de gehennæ cruciatur incendio. S. CHRYS., ser. CXV.

Etiam si peccatores videantur vivere, miseros tamen sunt omnibus mortis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam. S. AMBR., II, de *Jac.*

Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter et feres, facie inculta, vultu nubilo, ore dejecto, indicia moreris ostenderes. Animam tuam miseram perdidisti, spiritualiter mortuam; supervivere hic tibi videris, et ipse ambulans funus tuum portare cœpisti, et non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? CYPRIAN., de *Lapsis, n. 104.*

Prima mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa; et secundæ mors, quam Deus homini reddit, primæ mortis est pœna. Et quia istam sibi homo injustus injuste intulit, illam a justo judice juste percipit, ut qui in ista volens semen iniquitatis seminat peccator improvidus, in illa metat fructum punitionis involtus. S. FULG., ap. *Mansi, dis. VII, n. 6.*

Cum Deus sit fons totius salutis, omnisque nobilitatis, ac suavitatis origo causalis, constat, quod mens creata ab ipso aversa, vera beatitudine spoliatur, spirituali gratuita nobilitate privetur, et omni sincera dulcedine denudetur. DIONYS. CARTHUS., de *pecc. Enor., a. III.*

Dona spiritus in peccatore reperiri non possunt; nam sapientia per insipientiam dejicitur, ut divina non gustet; intellectus per hebetudinem obscuratur; consilium per præcipitationem perit, ut sine examinatione cuncta faciat; fortitudo per pusillanimitatem, et impatientiam prosternitur; scientia per ignorantiæ conculcat; non sufficienter discernens verum a falso, circa mores et fidem; pietas, quæ est Dei cultus, vel proximo subveniens, ab impietate dejicitur; et timor per superbiam absorbetur. S. ANTON., hom. XXXI.

Scito, et vide, quia durum, et asperum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, duplicem infelicitatem ipsam significans incurrisse. Quia enim per malitiam creaturæ inferiori inverecunde adhæsit, propter momentaneam delectationem, justo Dei judicio non oblationem, sed amaritudinem potius reportabit, ut qui satiari voluit in ipsis delectationibus creaturarum, infi-



nitit amaritudinibus repleatur. S. BONAV., in *Theol. myst.*, c. II.

Tale est peccatum, ut priusquam factum sit suam velet turpitudinem, ebrietate voluptatis suam prætexens abominationem; sed postquam factum fuerit, et libidinibus quidem voluptas parumper cessaverit, conscientia autem accusatio invaserit, nudam ac solam rationem flagellans, tum maxime cernitur, quam sit perniciosum. S. CHRYS., in *Ps.* XLVIII.

Accusator erit proprium scelus, tunc loquentur simul opera nostra, et dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te desereamus, tecum erimus, et tecum ad iudicium pergemus. S. LAUR. JUST., c. IV., *Lig. vit.*

Peccator ad se ipsum male se habet, quoniam plus vult se esse malum, quam bonum, diaboli servum, quam Dei filium, in statu latronis, quam in statu Regis; qui in mortali est, in statu latronis est, infernali patibulo adjudicatur. S. THOM., lib. III, de *Erud. pr.*, c. V.

Mali non vere diligunt seipsum, quia non volunt conservare integritatem interioris hominis, neque appetunt bona spiritualia ejus, neque operantur ad hoc, neque est eis delectabile convivere sibi ipsis, redeundo ad proprium cor; quia non inveniunt ibi nisi mala, quæ abhorrent; præsentia, quæ cogitant; præterita, quæ egerunt; futura quæ timent se facturos, et passuros; et est dissentio, neque concordant sibi ipsis propter conscientiam remordentem. ABULENS., tom. VI, in *Matth.* IV.

Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. S. AUG., in *Expos. Ep. ad Rom.*

Malorum omnium causam constat esse peccatum. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt, passiones. S. CHRYS., hom. V., ad *Pæn.*

Nostri peccati Barbari fortes sunt, nostri peccatis Romanus superat exercitus, et quasi non hæc sufficerent cladibus, plus pene bella civilia, quam hostilis muro consumpsit. Non ampulamus causas morbi, ut morbus pariter auferatur, statimque cernamus pills sagittas, diras galeas, caballos equis cedere. S. HIER., ep. II.

Unico peccati consensu immensas corporis ac animæ hominis spirituales amisit divitias, sibi cum dolore vendicat, quod

gratis, et sine labore perceperat. Innocentia quidem candorem, immortalitatis stolam, carnis incorruptibilitatem, animæ puritatem, Angelorum confubernium, amicitiam Dei perdidit, ad quæ maxima cum fætigatione assurgit. S. LAUR. JUST., de *S. Joann.*

Hoc sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Omnes scilicet bonorum operum fruges destruit, animi facultates corrumpit, totum hominem ad interitum ducit. S. CYPR., ser. V., de *Lapsis.*

DAMNUM PECCATI VENIALIS.—Nonnumquam in parvis deterius, quam in majori peccato. Major enim, quo citius culpa cognoscitur, eo etiam celerius emandatur; minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo etiam securius in usum retinetur. S. GREG., hom. LI.

Qui ut filius, et non ut servus obedit Deo, etiam in minimis timet offendere. S. BASIL., in *Regul. fuse disp. præm.*

Cæterum ab istis munitis peccatis, in quibus septies cadit justus, ut scriptum est, et resurgit, nunquam desit ponitudo; aut enim per ignorantiam aut per oblivionem, aut per cogitationem, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis singulis diebus vel invitit, vel volentes frequenter incurrimus, pro quibus et David orans Dominum purificationem atque indulgentiam deprecatur dicens: Ab occultis meis munda me. CASSIAN., coll. XX, c. II.

Mens Christo dedita æque, et in majoribus, et in minoribus intenta est, sciens, etiam pro verbo otioso reddendam esse rationem. S. HIERON., ep. III.

Peccata levia, quæ ab incipientibus quotidiana satisfactione purgantur, a perfectis viris velut magna crimina evitantur. S. ISIDOR., II. *Sent.* 10.

Discite, Fratres, justum iudicem Deum non modo, quid fiat, sed, quomodo fiat, considerare, et caveat deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convincerit. Nemo dicat in corde suo: Levius sunt ista, non curro corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc enim, dilectissimi, impenitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, hæc blasphemia irremissibilis. S. BERN., ser. I., in *Covers. S. Pauli.*

Admonendi sunt, qui, quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent, qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua, si despiciunt timere, dum pensant, debent formidare, dum numerant. S. GREG., p. VII, *Post. c.* XXXIV.

Nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum est, quam quid jussisset: neque quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. S. PAUL., in *ep.* XIV.

Fugiamus modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur. Quisquis enim ad quodlibet delictum dicere didicit consuetum illud: Nihil erit ab hoc damni; paulatim omnia perdet. Istud quippe malitiam induxit, istud latroni portas aperuit, istud civitatis muros dejecit. Hoc et corporibus magni morbi contrahuntur, quando modici contemuntur. S. CHRYS., in c. VII, in *Rom.*

Est peccatum veniale, inquit Alvarez, si attente ipsum inspiciamus, non quidem mors animæ, quod tantum crimini, seu peccato lethali competit; sed est adversa valetudo, et infirmitas animæ, quæ et ipsam animam fœdat, atque deformat, et a debita dispositione bene et fervide operandi disjungit, citatque S. Bernardum in sermone de *triplici Genere bonorum*, ita scribentem: Sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas, quia turbato oculo non videbitur Deus, et cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si vero sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tanta sollicitudo est impendenda, quanto pars ista dignior illa esse convincitur. Subditque idem P. Alvarez hanc similitudinem, inquit: Sunt peccata ista leviana, sicut pestilentis morbi, quos si diligentissima medicina non comprimat, certissimam, et incitissimam mortem intentant. ALVAREZ., c. X.

Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere: esus quippe, potusque ad ludum impulit, ludus ad idololatram traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ad iniquitatem protinus meus incauta devolvitur, Salomone attestante, qui ait: « Qui modica spernit, paulatim decidet. » Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam

majora perperamus. S. GREG., I. X, *Moral.* c. IX.

Dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax, ad noxia prorumpit. Dum gula incumbitur, ad levitatis protinus insaniam prohibetur; Cumque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque et ad perfidiam voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Israëlitiæ donna conspicens, ut imminetia ab auditoribus mala compesceret, curavit ex ordine transacta narrare, dicens: « Neque idolatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, etc. » *Ibid.*

Leviorum culparum nec affectus extinguere, nec occasiones vitare laborant, libertatem largioris vitæ desiderant, a divinis officiis, cæterisque actionibus conventionalibus abesse gaudent, delicatum superfluumque cibum, ac potum percipere gestiunt, opportunitates nugandi exquirunt, inordinati risus solatia affectant, sæcularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares usus accipere audent, propriam complacentiam, ineptam lætitiæ, otium, vaniloquæ, fabulas, gestus impositos, cæteraque hujusmodi vitia, aut non esse vitia, aut vix esse vitia indicant, et ideo sine scrupulo conscientia ea admittunt. Nimirum insensibiles effecti, vulneribus acceptis se sanos existimant, ob idque nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student; sed quid dicunt? Non sunt, inquit, vulnera, aut si sunt, vulnera admodum parva, fere nulla sunt. O Monachos infelices! O Monachos dementes! O Monachos non Monachos! nam quantumlibet parva vulnera videantur, quam tamen non cavent, ne ea suscipiant, nec postquam susceperunt, debitam curam adhibent, omnia mortifera reddunt. Ut interim omitam, quod etiam ex tali negligentia, frequenter ipsi in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, invidiam, contemptum, gulam, et alia enormia peccata corrumpant. BLOSIVS, *instr. vit. Asc. div.*

Vere culpæ leves, et imperfectiones, vulpes parvulæ sunt, in quibus nihil nimis noxium aspicimus, sed hæc vineam, id est, animam demoluntur, quia eam sterilem faciunt, dum cælum et æneum esse faciunt, et pluviam cœlestis auxilii impediunt. ALV., t. I, p. II, l. I, c. XVI.

Qui spernit modica, id est, qui non curat vitare parva peccata, successive corrumpit ad



majora; venialia namque minora disponunt ad venialia crassiora, et omnia simul ad mortalia; adducitque testimonium *Ecclesiasticus* dicentis: « Qui timet Deum, nihil negligit » nempe quo quis magis illuminatur a Deo, tanto amplius ponderat, et abhorret etiam minimas culpas. *DIONYS. CARTH.*, in c. XIX, *Ecol.*

Culpa venialis majus est malum, quam sint omnia mala penæ in unum collecta, quia malum superioris ordinis est, quod gravitatem sumit, a persona offensa, quæ est infinite dignitatis. Hinc qui ingenui sunt animi, metuunt Deum offendere etiam in minimis, quia non respiciunt ad peccatum, quod parvum reputatur, sed ad ipsum Deum, qui magnus est, et de minimis etiam rationem exigit, sicut e contra, qui hoc non curant, abjectos et ignobiles se produunt servos, qui nolunt parere Domino nisi grandia imperet, aut stricto gladio, minisve eos terreat. *AUTH.*, in *Noct. ap. Mansi*, d. XV, n. 6.

Qui hinc præsumptionis spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam, ut cum sancto homines de levibus etiam, culpis videamus punitos esse, et nos quotidie in majoribus, et pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus? Quamquam nusquam leve sit, Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem respicit peccati, sed etiam ad personæ contemptum, propter quod non solum homini intendendum, quale fit, quod jubetur, sed quantus sit ille, qui jubet. *S. Hier.*, in *Reg. mon.*

« FACILITAS INCURRENDI IN PECCATUM VENIALE. — Necessè est de mundano pulvere etiam corda religiosa sordescere; nec enim facile provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hostes, frequentesque conflictus, etiam si sit liber a morte, sit quoque immunis a vulnere. *S. Leo.*, ser. IV, in *Quadr.*

Peccata illa, quæ stipulis designantur, et non ex vitis nostræ menti insidentibus, neque ex malitia et inverecondia scienter peccantis, sed ex infirmitate carnis, et ex humanæ naturæ imbecillitate procedunt, difficillime caventur, adeo ut nullus Sanctorum præter Christum Salvatorem, qui Deus est, et peccare non potuit, et præter B. Virginem, quæ Mater Dei est, et singulari privilegio omni caruit peccati nævo, ab illi inveniat immunis. *Is.* c. XVIII.

Qui numerat capillos capitis sui? multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum; minuta videntur, sed multa sunt, Præcavisti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemias, non dicis falsum testimonium; moles istæ sunt peccatorum. Magna præcavisti, de minutis quid agis? Annon times minuta? Projectisti molem; vide ne arena obruaris. *S. Aug.*, in *Ps. XLIX.*

RELAPsus IN PECCATUM. — Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur, et labitur, quia ubi sponte diu persistit, ibi et cum noluerit, cadit. *S. Greg.*, in *hom.*

Cogita, o homo, graviorem esse culpam post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam: molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat. Sanctitate indignus est, qui semetipsum, postquam sanatus est, vulnerat; nec mundari mereatur, qui semetipsum post gratiam sordidat. *S. Chrys.*, hom. II, sup. *Matth.*

Inanis est penitentia, quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replentur peccata. Nihil valet a malis veniam petere, et mala de novo iterare. *S. Aug.*, in *Solit.*

In peccato nil magis est impium, quam in eo stare, et in casu nihil pejus est, quam in eo jacere. *Cass.*, l. IV, de *Casti.*

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Materia justî doloris, et internæ compunctionis sunt peccata, et vitia nostra, quibus ita involuti jacemus, ut raro cælestia contemplari valeamus. *L. I.* c. XXXI, § 4.

O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia! Hodie confiteris peccata, et eras iterum perpetras confessa. Nunc proponis cavere, et post horam agis, quasi nihil proposuisses. *L. I.* c. XXXI, § 6.

Quid aliud ignis ille devorat, nisi peccata? Quem autem adhuc peccata delectant, non mirum, si mortem et judicium timeat. *L. I.* c. XXXI, § 3.

Major labor est resistere vitis, et passionibus, quam corporalibus insidare labori-

bus. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores. *L. I.* c. II, § 41.

Nil sic timeas, sic vituperes, et fugias, sicut vitia, et peccata tua, quæ magis displicere debent, quam quælibet rerum damna. *L. III.* c. IV, § 3.

#### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — S. Arsenio quondam ostensum est, quomodo homines a salute impediantur, dum, 1. vidit Æthiopicam ligna secantem, et cumulum semper augmentem, quo indicabatur consuetudo peccandi. 2. Hominem aquam in cisternam pertusam fundentem, quo significabantur homines, qui, quod bonis operibus lucrantur, malis admixtis perdunt. 3. Duos lignum transversum portantes, et cum eo templum ingredi volentes sed non valentes, eo quod neuter alteri cedere voluerit, et alterum subsequi, ut aditus illis ad templum fieret, quo superbia figurabatur. *Spec. Ev.*, distin. 2. ex. 181.

Alias eadem historia in hunc modum narratur: Sedebat quidam de senioribus Monachis in cellula sua, et subito venit ad eum vox dicens: Egredere foras, et ostendam tibi opera hominum; et surrexit, et egressus est foras: duxit autem eum, et ostendit ei Æthiopicam nigrum cum securi cædentem ligna, et facientem grande sarcinam, et tentabat sublevare sarcinam illam, et non poterat præ magnitudine portare eam, sed redibat, et cædebat iterum alia ligna, et addebat super sarcinam illam. Iterum autem ostendit ei alterum hominem stantem super lacum et haurientem aquam de lacu, et mittentem eam in collectaculum, et de alia parte defluibat aqua desubter in eodem loco. Quid vero hæc visio significavit, declarat idem Arsenius dicens: Ille, qui aquam de lacu hauriebat, homo est, qui aliqua bona operatur, sed quia mala etiam amplius per peccata operatur, ea ideo pereunt, et delentur etiam opera bona, quæ facit. *Vit. PP.*, l. III, n. 38.

Miles quidam ob adulterium humana facie spoliatus est, ut omnes eum tam homines, quam bestie fugerent, qui tamen per confessionem, pristinae formæ restitutus est. *Spec. Ev.*, distin. 5, ex. 81.

Angelus quidam, cum Eremita peregrinatus, transeunte juvene eleganter vestito, sed peccatis immerso, nares cohibuit, cum

tamen ante cadaver transiens id non fecisset monuit scilicet coram Deo peccatorem turpissimum quocumque cadavere fœtere. *Is.*, dist. IX, ex. 162.

Abbas Paulus cum in templo orationi vacaret, vidit peccatorem a dæmone naribus tractum intrare in templum, et totum denigratum, sed eundem, post peccata sua sinceris lacrymis deplorata, a vinculis liberum facieque clarissima exeuntem. *Vit. PP.*, l. de *Pat. et Humi.*

Mulier quædam cum per intercessionem S. Dominici a dæmone, a quo obsessa fuerat liberata, advertisset se postea in varia peccata labi, maluit iterum a dæmone obsideri, quam peccati turpitudine fœdari. *Spec. Ev.*, tit. *Infir.*, ex. 13.

FUGA PECCATI MORTALIS. — Christus cum omnes alias injurias, et etiam suspicionem demonii inhabitantis patientissimè tulisset, in peccati tamen suspicione tollenda accerrimus fuit, ideoque dixit: Quis ex vobis me arguet de peccato? Cujus rationem reddens Beza, ait: « Quia non sic horribile est viro justo dæmonium habere ac peccatum; hoc omni dæmonio horribilius est, et multo magis vitandum. *Beza*, t. III, in *Ev.* XVIII, c. VIII, § 37.

B. Virgo ipsamet quondam S. Birgittæ revelavit, et dixit: « Tam affluenter me totum replevit Spiritus Sanctus quod nihil in me vacuum reliquit, ad peccati alicujus introitum. Et ideo ego illa sum, quæ nunquam commisi peccatum veniale, vel mortale. Ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, quod mihi nihil placuit, nisi perfectio divinæ voluntatis. Fervebat enim in corde meo ignis divinæ charitatis. » *S. Bnæ.*, l. III, *Revel.*, c. VIII.

Susanna Hebræa castissima ad adulterium a duobus senibus sollicitata dixit: « Melius mihi est, absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. *Dan.*, XIII.

Eleazarus Judæus nonagenarius, Scribarum Princeps, ad carnes porcinas contra legem comedendas compulsus, respondit, malle se præmitti in infernum, quam Regis mandato obedire. *II Mach.*, VI.

S. Chrysostomus nihil præter peccatum timebat; unde Eudoxiæ Reginæ insidias adversus ipsum molienti quidam ex aulicis illius dixit: Frustra tentas omnia, Chrysostomus enim nihil præter peccatum timet. *Socrus*, in *Vita.*



De sancto Ambrosio, Theodosius Imperator dixit: Novi constantiam Ambrosii, et quod nullo Regiæ majestatis terrore divinam legem transgredietur. THEODOR., l. V, *Hist.*, c. XVII.

Sanctus Anselmus Episcopus Cantuariensis dicere solebat: Si hinc peccati horrorem inde inferni dolorem corporaliter cererem, et necessario uni immergi deberem, prius infernum, quam peccatum appeterem. SURIUS.

S. Edmundus Cantuariensis Episcopus dicere solebat: « Malo insilire in rogam ardentissimum, quam in peccatum lethale consentire » Ibi.

B. Catharina Genensis non valens ullo pacto Dei offensam videre, dixit Domino: Non detrecto, quin omnia daemona, cum universis illorum terroribus, et suppliciis mihi morientis demonstres, nihil enim illa facio cum intuitu offensæ tuæ, licet minimè comparata: quæ tamen non potest esse minima, eo quod tua celsissima Majestas offendatur. *Vita*, c. xx.

S. Ludovicus Rex Galliæ cum ex Seneschalco Campaniæ quævisset, malletne lepra infici, an peccato, isque peccato se infici malle, respondisset, acriter eum objurgans Sanctus Ludovicus dixit: « Toto celo erras. Equæ enim lepra peccato foedior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque, si me amas, eam mentem muta. JOUVIL., in ejus *vit.*

FUGA PECCATI VENIALIS. — Florentiæ in Monasterio S. Marci, quod est Ordinis Prædicatorum, duo erant hujus ejusdem Ordinis Sacerdotes, quorum unus F. Zenobius Medicus, alter vero F. Servantius Minus vocabatur. Convenerant isti inter se, ut singulis quibusque noctibus, priusquam ad Matutinas accederent, mutuo peccata confiterentur. At humani generis hostis tanti boni invidus nocte quadam duas circiter horas, antequam consuetum daretur signum, Zenobii cubiculum pulsatus, inelamatusque: Heus tu, surge imminet hora. Hac voce experrectus ille, statim lecto exsiliens, ad Ecclesiam se confert, ibique eminentium Servantium reperit, prope sedem deambulantem. Quamobrem Zenobius ratus, ipsum vero esse Servantium supplex genuflectit, ut peccata confiteatur. Assidet dæmon, et confessionem excipit, ad singulas tamen culpas, quas penitens confitebatur: Nil istud, nil culpæ, aiebat. Imo cum culpam sibi graviores vi-

sam Zenobius subjungeret, aiebat itidem: Futilia sunt ista. Hæc audiens Zenobius, Satanæ laqueos veritus, crucis signo se muniens, mendacii parentem ita compellat: Num tu dæmon infernalis? Ad hæc is spe lucri frustratus, ignominia plenus evanuit. Nullus igitur, inquit Chrysostomus se frivola illa ratione consoletur, qua universa protervitas in animam introducit; illa, inquam, ratione nullus utatur, dicens: Quid hoc est, aut illud? Mille certe hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum diabolus cum sit, magna malitia, multa opera, ingenti studio, condescensioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonissæ nugas, ac deliramenta Saul regem detruere, sed id si ab initio suasisset, mentem ille non adhibuisset, quando enim id fecisset, qui Pythonissas expellebat? Propterea sensim, et paulatim illum inducit; nam quoniam Samueli non obtemperavit, et holocausta, illo absente, offerri præparavit, accusatus ait: « Necessitas hostium facta est major. » Cumque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, letabatur. Jussit rursus nonnulla de Amalecitis Deus, hæc quoque transgressus fuit. Hinc adversus David insanivit, et sic paulatim labens, ad ipsum perditionis barathrum seipsum immisit. Idque pariter in primo reprobo, Cain videlicet, exemplificat, quem astutus ille serpens sensim paulatim in magnum illud præcipitium deturbavit; subdit enim similiter etiam de Cain factum esse, videmus; non enim confestim cædem fratris ille suggestit, ne magnitudinem rei commotus, tam scelestum facinus abominaretur, sed prius persuasit deteriora offerre, nullum esse id, dicens, peccatum; deinde invidiæ veneno succendit, nihil enim hinc mali secuturum, persuadendo. Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, et ad negationem sceleris impulit, nec prius cessavit, quam malorum omnium verticem imposuit. MANSI, d. III, n. 3.

Quædam monastici Ordinis Virgo, quæ pie admodum vixerat, veniens ad mortis horam, gravibus mentis angustiis, Deo permittente, purgari ante exitum debuit ab hac culpa, quod quandoque gratiam Sacramentalis Confessionis neglexerat; nonnumquam enim, cum aliæ sociæ virginis ad Confessionem coram sacerdote faciendam sese præpararent, illa nullum in conscientia

stia gravioris culpæ sentiens remorsum, minime satagebat per verba Sacerdotis absolvi, saltem a pulvere venalium calparum sine quibus humana vita non dicitur, sed simulabat se interdum dormire, quando Sacerdos confessiones excepturus aderat. BLOSIUS, *Concl. anim.*, c. v, n. 2.

Refert S. Augustinus de matre sua S. Monica, quod, cum tenellæ etiamnum esset ætatis, surreperat ei violentia. Nam cum de more, tanquam puella sobria, juberetur a parentibus, de cuppa vinum deprimere, submisso poculo, qua desuper patet, priusquam in lagunculam funderet merum, primioribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius, sensu recusante; non enim ulla temulenta cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfuentibus ætatis excessibus, qui ludicris motibus ebullunt, et in puerilibus animis majorum pondere premi solent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo (quoniam qui modica spernit, paulatim decedit) in eam consuetudinem lapsa erat, ut prope jam plenos mero caliculos inhians hauriret. S. AUG., l. IV, *Conf.* c. XVI.

In vita S. Pachonii scribitur, sanctum hunc spiritus malignos in hisce actionibus conspexisse occupatos. Videbantur multo consensu concutere multa folia arboris, allatisque funibus, ea fortiter colligabant, utrinque autem stantes se invicem hortabantur trahere folia, tanquam maximum aliquem lapidem. Quoniam vero sine ridiculam hanc actionem exercuerint, historia his verbis manifestat: Hoc vero faciebant, sic existimantes, cor sancti ad risum dissolvere, ut vel in hoc possent de eo gloriari. SURIUS, 14 maii.

Clericus Coloniensis Ecclesiæ vadum fluminis transibat, et ecce B. Severinus, ejusdem Ecclesiæ nuper Episcopus, equi ejus habenas apprehendit eumque retinens sistit, cumque ille in stuporem versus, et graviter admiratus, cur illic tam clarus, et tam celebris fame vir moratur, inquireret: Da mihi ait, manum tuam, et quæ circa me sunt, non auditi discere, sed tactu: cumque datam manum fluctibus Episcopus impresisset, tantus eam ardor absorbit, ut indique carnes ejus resolutæ diffunderent, et ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus: Nomen, inquit, tuum in tanta benedictione est apud nos, et fama tua consonis totius Ecclesiæ præconiis cum celebretur

cur te pestilens hæc vorago constringit, tan-toque proli dolor incendio cruciaris? Ad quem sanctus Episcopus: Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantum, quia, cum in aula regia constitutus, Imperialibus me consiliis vehementer implicui, Canonice Synaxis officia, per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia coærvans, tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hæc itaque negligentiam horarum ardoris hujus fero supplicium. PÆTRUS. DAM., l. II, ep. xv.

Surius in vita Hugonis Abbatis Cluniacensis refert de Durando Archiepiscopo Toletano (qui olim ejusdem Ordinis Religiosus fuerat) quod, quia is sibi mire in facietis complacuerat; ideoque ab eodem Hugone multoties fuerat correctus et monitus, quod nisi a similibus se facietis averteret, pro illis condignas post mortem pœnas esset daturus, ideo idipsum ei post mortem revera acciderit? Siquidem defunctus Durandus post aliquod tempus, euidam monacho, cui Sigivinus nomen erat, apparuit præ se ferens in facie os inflatum, et labia ulceribus plena, eumdemque rogavit, ut nomine suo Abbatem requireret, pro faciendis, pro salute animæ ipsius acceleranda, orationibus. Quare dictus Abbas septem præcepit Novitiis, ut septem diebus continuis sese per rigorosum et indispensabile mortificarent silentium, illudque in subsidium et favorem animæ dicti defuncti, Deo offerrent. Quia vero unus illorum septem impositum sibi mandatum transgressus fuerat, ideo Archiepiscopus eidem apparuit, lamentando vehementer de Novitiis illius inobedientia, utpote ob quam liberatio ejus etiamnum retardabatur; mox vero, ut præfata penitentia alteri imposita, et ab eodem executioni mandata fuit, anima Archiepiscopi in cœlum feliciter evolavit. SURIUS, in *Vit.* Hug.

Abbas Paulus in tantum cordis puritate, quiete solitudinis, silentioque profecerat, ut ne diem vultum femineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri; nam eum eidem pergenti, ac ejusdem senioris cellam una cum Abbate Archenio, ejusdem solitudinis aecola, casu mulier obviasset, offensus occursum ejus tanta fuga ad suum Monasterium (prætermissa, quod arripuerat pie visitationis officio) recurrit, quanta nullus a facie leonis,



vel immanissimi draconis aufereret, ita ut ne memorati quidem Abbatis Archenii revocantis eum clamore ac precibus fleteretur, ut ad requirendum senem, quemadmodum proposuerat, cæpto itinere tenderent. Quod licet zelo castitatis et puritatis ardore sit factum, tamen, quia non secundum scientiam præsumptum est, sed in observantia disciplinæ jussæque districtio- nis excessus est modus (non enim solam familiaritatem, quæ vere est noxia, foeminarum, sed ipsam quoque figuram sexus illius credidit execrandum) tali confestim correptione percussus est ut ejus univ- ersum corpus paralyseos valetudine solveret, nullumque in eo membrum penitus explere suum prævaleret officium; siquidem non solum pedes ac manus, sed etiam linguæ motus quo eloquio vocis exprimitur, ipsæque aures ita auditus proprii amiserant sensum, ut in eo nihil amplius ex homine, quam immobilis atque insensibilis figura remaneret. Eo autem redactus est, ut infirmitati ejus nullo modo virorum diligentiâ deservire sufficeret, nisi sola ei mulieris sedulitas ministrasset, per annos ferme quatuor, idest, usque ad vitæ suæ terminum. CASSIAN., *Collat.*, VII, c. XXXVI.

Abbas Moyses, qui in deserto commorabatur, cum ipse singularis, et incomparabilis esset, ob reprehensionem unius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans paulo durius protulit, quadam scilicet opinione præventus, tam diro confestim traditus est dæmoni, ut humanas gestiones ore suo suppletas ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis ejus, atque auctore remedii demonstravit. Nam continuo Abbate Machario in oratione submisso, dicto citius nequam spiratione ab eo fugatus abscessit. Id., c. XXVII.

S. Dorotheus illis, qui animam suam secure salvare serio contendunt, sequens dedit saluberrimum documentum, videlicet illis valde cavenda esse prima peccati semina; quod si tamen illis aliquis incaute, et inconsiderate patefactus esset aditus, subito extirpanda esse, ob ingens, quod ex istdem eis immineret alias, periculum; hic statim, nisi se revocet et respiscat, sensim labitur. Idem quoque lapsus refert ejusdem Monachi, qui Religiosum aliquem lau-

dari audiens, eum deridendo contemnens, dicere solebat, neminem laude dignum esse præterquam Zosimum, et Monasterii ipsius fratres. Postea nec illos alienjuss aestimavit, asserendo neminem laudem mereri, præter Macharium. Paulo post vero dicebat: Et quis est Macharius? Nemo in pretio haberi meretur, quam solus Basilius, et Gregorius. Nec multum præteribat temporis, cum ecce et hosce contemnebat, dicendo, solos Apostolos Petrum et Paulum, passim ab omnibus in veneratione esse habendos. Cui ego prædixi, inquit sanctus Dorotheus, quod et eventit, fore, ut hos quoque suo tempore contemneret, quod sane factum est; nam eos quoque sprevit, et nullo habendos esse in pretio, præter Trinitatem asserere cepit, statimque in Deum quoque, factus insolentior, exarsit, intumuit. Demum vero idem sanctus Pater in hæc verba concludit: Nobis igitur luctandum est cum prima, ne in secundam paulatim labamur superbiæ. S. DOROTH., *Doct.* II.

In vita S. Macarii Romani legitur, quod, cum in nuptiis suis, ad imitationem S. Alexii, eadem nocte, priusquam conjugij frueretur fructibus, relicta post se sponsa, secreto se Angelo suo sancto duca, in desertum quoddam horridum contulisset, ad faciendam ibidem austerissimam penitentiam, acciderit post aliquod tempus, quod gravissime tentaretur a diabolo, idque sequenti adhibito stratagemate: Die quadam, hora quasi septima (verba sunt ipsiusmet S. Macarii), e spelunca foras egressus, sole fervescente, resedi, tunc subito subtile fasciolum, et oculis delectabile, juxta me in terra positum aspexi. Ego vero in memetipso cogitans, dixi? Unde in hac solitudine fasciolum; Aestimans tamen, quia in veritate esset fasciolum, oblitusque ego miserimus me signo Crucis munire, (quoniam quidem sacrosanctæ Crucis signaculum omnem inimici enervat phantasiam) misi manum, et levans fasciolum, reportavi in speluncam. Ecce qualiter in hoc facto transgressum fuerit, licet ignoranter, illud S. Pauli consilium: «Nolite locum dare diabolo.» Hoc autem modicum lucratum pignus ei sufficiebat, ad audenda circa ipsum majora, progrediendumque ulterius ad validiores ei tentationes inferendas; subdit enim idem S. Macarius: Altera nihilominus die egressus, caleos foemineos reperti jacentes in terra, sed nec tunc miser ego

insidias diaboli advertens, nec Crucis vexillo me muniens, caleos levavi, et in speluncam portans, fasciolo junxi. Tertia autem jam die iterum exiens, diabolum in decore, vel specie mulieris, vestibus pretiosis indutæ, statim inveni: ego vero miserabilis, nec sic quidem laqueos inimici recordans, nec aliquo modo me signans, sed credens in veritate, quia mulier esset, aio ad illam: Unde huc advenisti? aut quis te in hanc adducit solitudinem? Illa continuo flere amarissime cepit. Tunc ego misellus simul cum illa veluti compatiendo, valde ploravi. Post hæc respondens dixit: Ego miserima, o Pater sanctissime, filia sum viri Romani, qui cum me invitam ac nolentem desponsasset juveni cuidam nobilissimo Romano, ac dies nuptiarum venirent, et thalamum ac convivium ordinarant, inter nuptias ipsas sponsus meus disparuit. Cumque turbati omnes huc illucque cum inquirendo vagarentur, ego gavisa effecta clam exivi, et noctu eadem iter arripiens, nec itineris ducem aliquo modo habens, per angusta montium et vallium errando, huc usque perveni. Hæc ego cum audissem, et omnia ita esse credidissem, simul et sponsam meam fore sperans, per manus apprehendi illam, et in hanc introduxi speluncam: lacrymæ vero ab ejus oculis nullatenus cessabant. Tunc ego miseris, et lacrymis ejus compatiens, et valde super eam dolens, sedere eam juxta me feci, similiter, et glandes illi ad manducandum præbui; non enim insidias diaboli intellexi, neque ullatenus Crucis me signo munivi, sed similiter sedentes duntius colloquia simul habuimus. *Vit. PP.*, I, I, c. xx.

S. Paula Romana levia peccata ita planxit et detestata est, ut etiam gravissimorum criminum ream diceret.

Eusebius quia sub lectione sacra oculos in campum conjecerat, lumbos zona ferrea constrinxit, et gravissimum collare collo imposuit, ut hoc modo inclinatus, cogere- tur semper terram aspicere; sicque per quadraginta annos mansit.

De B. Maria Oegniacensi Joannes de Vetrico scripsit: Testem Deum invoco, me nunquam in tota ejus vita vel conversatione, vel unum peccatum mortiferum potuisse deprehendere. Si quod autem veniale admisisse videretur, cum tanto cordis dolore, cum tanta verecundia et rubore, cum tanta contritione id confitebatur, ut præ nimio

angore, instar parturientis, exclamare cogere- tur. SURUS, 23 jun.

DAMNUM PECCATI MORTALIS. — Primi nostri parentes, quia peccarunt, et ipsi Paradiso ejecti, gratiaque originali privati sunt, et omnes posteros in eandem miseriam traxerunt. GEN., III.

Fili Israel, quia fecerunt malum in conspectu Domini, iratus est Dominus, et tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus. JUDIC., II.

Videns Deus, quod multa malitia esset in terra, et cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore, ponitit eum, quod hominem fecisset in terra, et præcavens in futurum, et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia. GENES., VI.

Quia clamor Sodomorum, et Gomorrhæorum multiplicatus est, peccatum eorum aggravatum est nimis, pluit Dominus super Sodomam, et Gomorrhæam sulphur et ignem a Domino de celo, et sulverit civitates has, et omnem circa regionem, et universos habitatores urbium, et cuncta terræ violentia. GEN., XIX, 24.

Anno 1506, Guntherus, Henrici II cancellarius, vidit in solio Majestatis sui cedere Deum, et elevato in altum brachio, districtum gladium magno conatu vibrare et circumstantibus dicere: Reddam ultionem hostibus meis, et his, qui oderunt me, retribuam. Quam visionem protinus mors Principum regni secuta est. BEIRLYN., in *Theat. Vit.*

Cum olim Metensis urbs a Cunis incendio vastata esset, Prior quidam S. Stephanum cum S. Petro et Paulo colloquentem, et talia dicentem audivit: Oro, Domini mei, ut non permittatis Metensem urbem ab inimicis exuri; aut certe si aliter fieri non queat saltem Oratorio, in quo reliquiae meæ asservantur, parcat. Cui illi responderunt: Vade in pace, Frater dilectissime, Oratorium tuum liberabitur ab incendio, pro urbe vero non obtinemus, quia Dominicæ sanctionis super eam sententia jam processit; invalidi enim peccatum populi et clamor malitiæ eorum ascendit coram Deo; ideoque incendio cremabitur. GRÆGOR. TUR., I, II, *Hist. Fr.*, c. VI.

S. Simeon Stylitia Edessenus solitus erat videre homines Angelis stipatis, sed non



eodem modo; nam in gratia constitutis pone aslabant, et tamquam fidi viarum duces lætabundi facem prælucebant: mortali vero peccato obstrictos circumstantium demonum constrictos vinculis, eminus sequebantur illacrymantes. RADERUS, in *Virid. sanct.*, p. II, c. v.

S. Birgittæ Svecæ quondam apparuit Christus totus sanguine perfusus, et ea specie, qua olim crucifixus fuerat, dixitque: Intuere vulnera mea. Cumque illa illacrymans diceret: Heu, Domine mi, unde tibi hoc modo vulnera? respondit ille: Ita me etiamnum vulnerant charitatis mea contemptores. SURUS, in *Vit.*, 23 jul.

S. Coleta cum aliquando S. Dei Genitricem pro peccatoribus rogaret, ista cum lance carnis, quasi infantis recens occisi frustis plena sibi adstantem vidit, et dicentem audivit: Qui vis, ut pro illis intercedam, qui peccatis Filium meum, quantum quidem ipsi possunt, ita, ut hic vides, in frusta discerpunt? SURUS, in *Vit.*, t. VII.

P. Franciscus Staeca Siculus Capucinus Borcherii ditionis Siracensanæ oppido, ad concionem in peccatum lethale invecatus, fetorem illius, extinctæ recens lampadis nidori comparans, digitum in ardentem atque summum altare lampadem intendebat, quando illa subito, nulla ejusdam opera interveniente, extincta, tanto fetore, tam putrido totum templum implevit, ut nemo eum ferre posset, omnes obturatas tenerent nares. Contra eodem mox hominis divina præditi gratia pulchritudinem ac suavolephantiam laudante, ac lampadi plenæ balsamo accensæ comparante, eadem lucerna, ut ante sua sponte fuerat extincta, ita iterum sponte accensa, ex se gratissimum toti concioni odorem aspiravit. Credo, ut intelligerent homines, quam grata esset virtus Deo, tam esse illi peccatum abominabile. BOVEAUC., t. I, *Hist. ord.*, ann. 1313.

S. Catharina Senensis, impudicæ secum loquentis mulieris fetorem non tolerans, nares obturavit: Patri vero Raymundo, qui illi in Confessionibus erat, gestum hunc admiranti, dixit, se, ni hoc fecisset, præ animæ illius fetore, fuisse vomituram. SURUS, in *Vit.*

Venerabilis Beda sequentem refert visionem de B. Furso. Cum in altum esset elatus, jussus est ab Angelis, qui eum ducebant, respicere in mundum. At ille oculos in inferiora deflectens, vidit quasi vallem

tenebrosam subtus se in imo positam. Vidit et quatuor ignes in aere non multum ab invicem distantes, et interrogans Angelos, qui essent hi ignes, audivit hos esse ignes, qui mundum succedentes essent consumpturi. Primum scilicet esse mendacii, cum hoc, quod in Baptismo renuntiare nos Satanæ, et omnibus operibus ejus promissimus, minime implemus. Secundum, cupiditatis, cum mundi divitias amori celestium præponimus. Tertium, dissensionis, cum animas proximorum etiam in supervacuis rebus offendere non formidamus. Quartum, impietatis, cum infirmiores spoliare, et eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Crescentes vero paulatim ignes usque ad invicem sese extendunt, atque in immensam adunati sunt flammam; cumque appropinquassent, pertimescens ille dixit Angelo: Domine, ecce ignis mihi appropinquat! At ille: quod non incendisti, non ardebit te; nam etsi terribilis et grandis rogos ille videatur, tamen juxta merita operum singulorum examinata, quia uniuscujusque cupiditas in hoc igne ardebit; sicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita solutus corpore ardebit per debitam penam. V. BEDA., l. III, *Hist. Angli.*

Decem hæretici in urbe Argentina, quæ est Strasburg, comprehensi sunt, qui cum negarent, per judicium candentis ferri convicti, sententia incendii sunt damnati. Die staluto, cum ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus uni illorum dicebat: Miser, damnatus es, age vel nunc penitentiam, ne post incendia corporis, quæ momentanea sunt, animam tuam ignis gehennalis æternaliter comburat. Cui cum ille diceret: Considero quidem me errasse, sed timeo, penitentiam tantæ necessitatis minus acceptam esse Deo. Respondit alter: Ex corde tantum confitere: Deus est misericors, et penitentem suscipit. Mira res; quomodo enim, ut homo confessus est perfidiam, manus ejus plenam recepit sanitatem. Tardante in confessione, cum a iudice vocaretur ad penam, Confessor ejus iudici respondit: Non justum est, ut homo innocens damnatur injuste. In cuius manu, cum nullum vestigium combustionis reperiretur, dimissus est. Habebat idem homo uxorem itidem hæreticam, non longe a civitate manentem, horum, quæ dicta sunt, prorsus ignaram, ad quam, cum venisset gaudens, dixissetque: Benedictus Deus, qui me liberavit hodie ab interitu

corporis et animæ, causam ei exponens, respondit illa: Quid fecisti, o miserime! quid existit? ut quid propter momentaneum dolorem recessisti a fide tua sana et sancta? Immemor ille beneficii sibi divinitus collati, immemor tam evidents miraculi, consilio uxoris acquievit et erorem pristinum resumpsit. Deus vero non immemor vindictæ, pro tanta ingratitude, manum plagavit utriusque. Renovatum est incendium in manu hæretici, et quia conjux auctrix exitit resumpti erroris, consors facta est redivivi doloris. Tam vehemens erat incendium, ut ossa manuum penetraret, et cum uti non auderent clamoribus in villa, quos vis extorsit doloris, fugerunt in nemus vicinum, illic, ut lupi ululantes. Quid verbis immorer? Prodit sunt, in civitatem reducti sunt, simulque in igne nondum plane extinctum missi, et in cinerem redacti. CÆSARIUS, l. III, c. xxvi.

Legitur de quadam virgine, quæ diu caste vixerat, et cum instigaretur a diabolo de luxuria ad experiendam delectationem ejus maximam, et quidem etiam vivens honeste, nimis familiariter cum ea conversaretur, etiam tentatus est ipse ad experiendam ejusmodi delectationem. Demum quia a diabolo, commixti sunt simul. Qua delectatione experta, ad tantam amaritudinem devenit, quod virginitatem amisisset, propter vilem, et turpem, et momentaneam delectationem, quod pie amaritudine mortua est. S. ANT., p. IV, tit. XIV, n. 6, § 7.

Cum Angelus transiret per eremum in forma hominis cum quodam sancto Eremita, obviam habuerunt quodam cadaver hominis, et quia valde fetebat, Eremita nares obturavit cum chlamyde ne fetorem sentiret; Angelus autem nihil tale egit. Postea obviam habentibus quemdam pulchrum juvenem vestibus ornatum redolentibus, Angelus clausit fortiter nares, Eremita autem minime. Sed miratus de actu, quare nares obturasset juxta juvenem transiens, cum ita esset pulcher et redolens, non autem juxta illud cadaver ita marcidum et foetidum, respondit: Tu cum sis caro, sentis fetorem carnis: nos autem quia spiritus sumus, sentimus fetorem spirituum qui procedit ex peccatis quorum juvenis ille lascivus erat plenus, et ideo mihi fetebat. Cum ergo Angeli boni sint nobis amicissimi et socii, debemus peccata timere et cavere,

ne iis abominabiles fiamus. D. ANT., II, p. *Sursum*, tit. XXIV, c. vi, § 1.

Fili Israel in Ægypto vix allia et cepas degustarunt, cum statim lacrymæ per oculos defluerunt; adhuc cibus erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. NUM., xxv.

Quomodo populus Constantinopolitanus, incendii cladem, peccatis id exigentibus, e manibus Dei extorserit, audiamus Marcellinum ita loquentem ex actis S. Danielis. Jampridem (inquit Auctor), principium habebat anni ambitus et mensis instabat, quem vocant Romani septembrem, in quo magni martyris Mamantis festum pii celebrant; vespere ergo, quando festum a piis preparatur, et tota nocte agitur vigilia, finem accepit magni Danielis Propheta, et repente in maxima atque regia civitate incipit incendium: quod usque adeo esset exercitatum, et adeo invaluit, ut vere universam contriverit civitatem. Nam cœpit quidem a muro, qui est prope mare, quem etiam nominant navale; pervenit autem usque ad forum Constantini, et pertigit ad portum Juliani, quasi mediam cinxisset civitatem. Quo in loco et universa comprehensa sunt corpora, et quæcunque fuere comprehensa facile perierunt. Et sic pastus ignis in maximam crevit flammam: eratque malum inexpugnabile: quippe cum quicquid ac opem feredam afferebatur, argueretur nihil proficere. Quapropter multas quidem domos, multa autem templa, virorumque et mulierum proserpit depascens multitudinem, multi vero partibus et membris corporis, quæ invaserat ignis statim mutilabantur, erantque semiustulati, et media parte cæsi miserabiliores iis, qui omnino cum suis perierant. *Ex Actis, DAN. Str.*

DAMNUM PECCATI VENIALIS. — Moyses, quia cum modica dubitatione percussit petram, audivit a Deo: Quia non creditisti mihi, ut sanctificares me coram filiis Israel, non introduces hos populos in terram, quam dabo eis. N. 20, 7 et 12.

David quia populum suum numerari jussit (in quo eum non nisi venialiter peccasse, plerique auctores putant) pestilentia, quæ septem millia hominum abstulit, castigatus est. II REG., xxiv, 15.

Ezechias quia legatis Regis Babylonio thesauros suos ostendit (quia in actione iterum veniale duntaxat culpam agnoscunt probati auctores) audivit ab



Isaia : Audi sermonem Domini : Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc in Babylonem : non remanebit quicquam, ait Dominus. Sed et filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, et erunt enuclii in palatio Regis Babylonis. IV REG., xx.

Pueri, qui transeuntem Elisæum irriserunt, dicentes : Ascende calve : egressi sunt duo ursi de saltu, et omnes quadraginta duos lacerarunt, licet venialiter tantum ob imperfectum rationis usum peccarint. IV REG., ii, 23.

Ananias et Sapphira, ob mendacium (quod docti viri, teste Lancizio, veniale tantum fuisse putant) subitanea morte puniti sunt. Unde S. Augustinus ibidem citatus ait, eorum peccatum per mortem corporalem extinctum fuisse. ACTOR., 5 ; LANCIZ., Op. XVI, c. x, n. 195.

Cellarius quidam ex Monasterio S. Rufi prope Valentiam post mortem quasitus, cur sic in Monasterio tumultuaretur respondit, se integro anno gravissimas in Purgatorio penas fuisse, quod aliquoties ob nimias occupationes Psalmum « Laudate » loco Psalmi « Miserere » in gratiarum actione post mensam faciendam dixisset. Vide plura in tit. Purgatorium. Ib., c. xi, n. 197.

Laurentius Surius in *Vita S. Macarii Alexandrini* refert, quod eidem nocte quadam in cella sua quiescenti, vespa quadam ejus momorderit pedem, propter quod ipse iratus vespam occidit. Ad se vero reversus, ut errorem emendaret commissum, semetipsum hac pena multavit, ut scilicet per sex menses continuos, in agris Scythicis, in quibus circumvagantium vesparum non est numerus, nudus persistens ab iisdem eousque transfigeretur aculeis, morsibusque infestaretur, donec quis esset, dignosci, nisi ex sola voce, non posset. SURIUS, in *Vita*, x.

In *Vita S. Antonini Archiepiscopi Florentini* refertur, quod aliquando temporis injuriis et molestiis aliquamdiu infestatus, tandem in verba impatientiæ proruperit, dicendo : Quousque igitur hoc triste et molestum tempus durabit ? Postea vero considerans, quod hac in re voluntatem suam divino non conformasset beneplacito, primo quidem erroris se commissi, a Deo humiliter postularit veniam, postea vero ad culpam hanc in seipsum castigandam, gravi quadam corpus suum accinxerit catena,

eamque sera aliqua clauserit, clavem vero seræ illius, ne eam aperire posset, in Arnium Florentiam perlabyrinthum fluvium conjecerit. Tandem vero post integrum elapsum septennium, dum in culina ejus piscis quidam exenteretur, clavicula prædicta in piscis hujus visceribus inventa, sancto Archiepiscopo allata fuerit ; qui cum claviculam hanc, illam ipsam esse agnosceret, quam ipse ante septem annos in Arnium fluvium conjecerat, exinde conjecit, Deum hanc clavem ei remisisse, ut illa mediante catenam suam dissolveret, ac proinde illam aperuit, et licet invitus a se abjiceret, videbatur enim ei, quod pro culpa hac, licet veniali, nondum sufficientem sustinisset penitentiam. In *Vit.*

Cum S. Pachomius in loco quodam sui Monasterii una cum multis aliis Monachis consideret, quidam ejusdem Monasterii sui religiosus, parvulas quasdam floreas, quas ea die contexnerat, ante cellam ex opposito loci illius, ubi Pachomius sedebat, situatum collocavit, ut ab illis storeas illas videntibus, tamquam assiduus, sollicitus, et industrius laborator laudem reportaret ; siquidem regula Pachomii unicam solummodo per diem stoream confici præcipiebat. Cognovit igitur vir sanctus laborem Monachi illius non alio sine ab eo factum fuisse, quam ut vanam ab aliis gloriam aucuparetur, ad circumstantes itaque se vertens gemebundus dixit ; Monachus ille in suo peracto labore mundi potius, quam Dei gloriam quasivit : cui proinde ad se accersito, post asperam reprehensionem, hanc injunxit penitentiam videlicet ut coram aliis Monachis, ad orationem faciendam congregatis, ipse in medium illorum prodiret, et duas in humeris suis storeas serens, alta voce clamaret dicens : Patres, fratresque mei charissimi, propter amorem Dei, enixe vos obtestor, ut pro me Deum exoretis, qui duas hasce storeas pluris astimavi, quam regnum celorum. Neque hic terminabatur injuncta ei penitentia, verum insuper in angusta quadam cella quinque mensium spatio recludi fecit, non permittendo, ut a quopiam hominum visitaretur, et præterquam quod solo pane, et aqua illum sustentarent, insuper eum ad faciendas quotidie duas storeas, nemini ad ostentationem exhibendas, serio obstrinxit. SUR., in *vit. S. Pach.* com.

Cum S. Aicardus Abbas in negotiis Monasterii sui occupatus, inadvertenter in die

festo accito tonsore capillos capitis foreipe sibi æquari jussisset, vidit, cum hoc ageretur, humanæ salutis adversarium, quam promptus sit ad nocendum, quomodo de nostris offensioibus exultet. Nam ecce diabolus intra tenebrosam cellæ angulum se continebat, nefandam cautionem in manibus teneas, et semper, ut attonsa coma deorsum influebat, ipse colligere, et in numerum capillaturam omnem redigere videbatur. Res tremenda et sollicitè pensanda, (subjungit historia) : Cum enim sanctus vir Dei dæmonem reprehendisset, eique temerarium ausum suum impropersasset, respondit dæmon : Meum est officium, servorum Dei habitacula revisere ; et offensas singulorum Breviario meo adnotare, et sic Principi nostro referre, ne ad concilium ipsius revertentem vacuum, supplicis durioribus jubeat exerceri. Nam hujus ministerii sors mihi de te singularem hodie palmam ad Principem meum obtinebit, dum te Dominicæ noctis festivum tempus illicito opere transgredi renuntio. Minime a tonsione, minime (inquam) cæssa, ut de numerum capillorum nostræ cautionis abacus accumulatur. Ib., xv, sept. 13.

RELAPSUS IN PECCATUM. — Pharaon, qui post tot acceptas plagas non respicit, sed in antiqua obstinatione permansit, cum toto suo exercitu in mari Rubro submersus est. EXOD., xv.

Canonicus quidam lubricus cum per S. Franciscum a gravi infirmitate signo crucis curatus esset, admonitus tamen, ut ad vomitum non rediret, paulo post repetens antiquam libidinem, in domo alterius Canonici, domo tota corruente, omnibus aliis illasis, solus oppressus est. S. BON., in *Vit. S. Franc.*, c. xi.

Thomas Cantipratanus scribit, quod, cum quemdam ad se cum Sacerdote venientem, et consuetudini male obnoxium, sæpiusque a se absolutum, ad Episcopum mittere vellet, Sacerdos eum rogarit, ut eum hac conditione alius absolveret, ut ipse poenitens flexis genibus rogaret Deum, ut, si denno in antiquum scelus recideret, eum mox divina vindicta sequeretur. Absolutus ergo cum tali pacto recessit, sed paulo post iterum lapsus horrenda voce clamavit : Vindicta Dei super me, amarissimaque morte multatus expiravit. THOMAS CANTIPR., l. II, c. xxx.

Cum S. Anselmus puerum cum avicula

ludentem, et mox cum vinculo dimittentem, mox retrahentem vidisset, ad socios conversus, sic inquebat : Cum peccatoribus diabolus ludit, modo enim eos ad confessionem quasi liberos dimittit, modo per consuetudinis vinculum in antiquam captivitatem retrahit, ac reducit. SUR., 21 april.

## EXEMPLA DOMESTICA.

FUGA. — S. Ignatius rogatus a P. Brandano Lusitano, quomodo Scholastici Societatis peccata venialia confiteri deberent, respondit, hominem etiam de minimis peccatis confundi debere in presentia divina, si pura conscientia gaudere velit ; eo quod obiectum contra quod sunt peccata venialia, sit infinitum, atque adeo etiam in infinitum aggravet. LANCIZ., op. XVI, n. 8.

De B. Aloysio P. Ferdinandus Paterno testatus est, dum ejus confessarius esset in curia Regis Hispaniæ, per quinque, aut sex annos sæpe nec materiam absolutiois invenisse, idque non ex defectu solertiæ aut judicii accidisse, quia etiam ab ætate elucebat in eo prudentia, et maturitas senilis in moribus. Ib., n. 266, ex *processu* Can. Idem postea de eodem etiam in Societate existente P. Hieronymus Natalis testatus est, cum dixit, se in confessione generali sex mensium materiam capacem absolutiois non reperisse. Ib., n. 164, 1.

De S. Francisco Xaverio Vicarius S. Thomæ jurejurando testatus est, se, dum confessiones illius per hyemem exceperisset, non invenisse peccatum veniale, quo Deus offensus fuisset.

De B. Stanislaio Kostka P. Alphonsus Ruiz, qui totius vite confessionem exceperat, post mortem publice edixit, eum tota vita, quæ fuit septuaginta novem annorum, peccatum mortale nullum, et venialia valde pauca commississe.

Cardinalis Bellarminus paulo ante mortem sincere fassus est, se tota vita sua, quæ fuit septuaginta novem annorum, nunquam deliberate peccasse. Sed et P. Fulgatus in ejus vita scribit, se interdu per octo dies non invenisse in ejus confessione ullum peccatum. LANCIZ., op. III, n. 32.

P. Ludovicus de Ponte voto se obligavit, nunquam deliberate offendendi Deum, hoc autem perfecte ab eo servatum fuisse jura-



tus asseruit P. Petrus de Sandoval, qui per viginti annos confessiones ejus exceperat. *Vit.*, c. XXXIV; *Id.*, n. 32.

P. Jacobus Alvarez vinginti sex annis ante mortem voto se astrinxit, se nullum peccatum veniale scienter admissurum, idque servatum litteræ Peruanae testantur. *LITT. PERVAN.* de *Viris illustr.*

P. Edmundus Campianus tam tenera erat conscientia, ut sæpe a suo Confessario ad sacrum faciendum sine absolute dimissus fuerit. *Vit.*, c. XI.

De P. Bernardino Realino P. Annibal Vitalis juratus edixit, se per quindecim annos in ejus confessionibus, ne unum quidem peccatum voluntarium reperisse. *LANCIZ.*, *op.* XVI, n. 267.

P. Martinus Polorius operarius indefessus, toto anno, quo Sanctus Nicolaus Lancizius ejus confessiones exceperat, ne unum quidem veniale minimum attulerat, etiamsi conscientiam suam accuratissime discutere consueverit. *Idem*, *opus.* III, n. 31.

Alphonsus Rodriguez, et si per quadraginta annos janitoris fugebatur officio, ordinarie tamen in confessionibus materiam absolutiois non afferebat. Eundem cum S. Franciscus cum Christo apparetur quæreret, cur fletet, respondit ille: Cur non fleam, perspectam habens gravitatem meorum peccatorum, quandoquidem unum peccatum veniale contra Deum commissum meretur, ut tota vita defleatur. *Id.*, *op.* XXVI, n. 269.

Cum S. Ignatio quondam objiceretur, operam in curandis meretricibus frustra neam esse, eo quod illa mox ad vomitum reditura essent, respondit ille: Minime sane. Sed si omnibus vitæ meæ curis atque laboribus id possim efficere, ut vel unam noctem aliqua istarum peccato abstinere velit, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel exiguo illo tempore Deus non offendatur. *Vit.*, l. III, c. IX.

DAMNUM. — P. Christophorus Ortizius vir Apostolicus, quia Superior Residentiæ designatus non prompte obedivit, fulmine ictus interit, licet Deus gloriam servi sui multis prodigiis illustraverit. *NIEREMB. DOCT. ASC.*, f. 199.

P. Jacobo Rhem quondam unus e Societate in sordida veste, et forma apparens, causamque pugatorii rogatus respondit, non aliam esse, quam quod sæpius sine fa-

cultate se ipsum flagris castigasset. *Ann. Ingolst.* 1618.

Quidam Theologiæ studiosus prope Neapolim mortuus cuidam socio suo apparens dixit, se in purgatorio graviter cruciatum esse, quod aliquando sub sacro aliquantum confabulati, nec confessi essent, ipse proin adhuc istud peccatum confiteretur. *Ann. neapol.* 1605.

#### EXEMPLA PROFANA.

Papinianus Jureconsultus, cum ab Antonino Caracalla Imperatore pernicium fratris sui Gethæ approbare jussus est, tam constanter id recusavit, ut etiam mortem ea de causa oppetere non dubitavit. *ÆLIUS SPARTAN.*, in *Caracalla*.

Democles puer formosus cum lavandi corporis causa balneum fuisset ingressus, idque Rex Demetrius, cum secutus abuti vellet, præcluso omni effugio in ahenum aqua fervente plenum insiluit, mori malens, quam peccato tali contaminari. *PLUTARCH.*, in *Vita Demet.*

Philosophus quidam dixisse fertur, se, si sciret, Deum sibi peccatum admissurum, et illud homines ignoraturos, nihilominus ob solam peccati turpitudinem istud studiosissime declinaturum. *PLATO*.

#### SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut elementum in loco suo naturali non gravat, secus vero si extra illum reperitur; sic peccatum adhuc in voluntate, et affectu manens non gravat, aut angit; secus vero, si affectus fuerit depositus. *SICAPL.*, text. VI, in *Dom. II post. Pent.*

Sicut lignum, fenum, et stipula congregantur in domo, et non pertinent ad substantiam ædificii, et possunt comburi, ædificio manente; ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente spirituali ædificio, et pro istis patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii post hanc vitam, et tamen consequitur vitam æternam. *S. TH.*, p. II, q. LXXXIX.

Sicut in humana republica sunt aliquæ leges, sine quarum observatione omnino stare non potest, quas præterire gravissi-

imum esse cognoscitur; alia vero optima gubernationi conducibiles, quas transgredi leve, et non magni momenti judicatur; ita in regno Dei quædam sunt leges, ex quarum custodia charitas, et animæ vita dependent; alia vero sine quarum observatione charitas, et spiritualis vita adhuc stare potest; et illarum transgressio, peccata mortalia; istarum vero, peccata levia et venialia constituit. Et sicut inter homines, licet quælibet offensa amicitiam aliquo modo lædat, non tamen offensa levis amicitiam dissolvit, nec amicum a participatione bonorum amici omnino rejicit, sed aliqua levi satisfactione remittitur; eodem prorsus modo leves offensa adversus Deum, quas homines ex humana fragilitate committunt, contractæ, per charitatem, et gratiam, amicitiam non auferunt, atque ideo nec animam interficiunt, nec regnum illi celeste claudunt. Distinctiones porro, quas inter transgressionem mortiferam, et levem, assignat, sunt hæ sequentes: Peccatum mortale charitatem et gratiam tollit: veniale, servata charitate, ejus fervorem extinguit. Illud præfert creaturam Deo, quia ob amorem creaturæ, Deum deserit: istud non præfert, quia licet se ad creaturam inclinet, non tamen Deum propter illam derelinquit. Illud constituit ultimam finem in creatura, quia ab ultimo, propter quem creati sumus, sine recedit: istud non ponit finem in creatura, quia gratia decorum, et charitatis pulchritudinem, qua homo, tamquam in fine, tendit in Deum, non amittit. *ALVA.*, t. II, l. p. 1, c. 1. Illud animam interficit; istud fœdat. Quare Gregorius dixit: In peccatum et criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extinguunt. *S. GREG.*, l. II, *Mor.*, c. IX.

Sicut in corpore est duplex nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum, et coloris, alius autem ex exteriori claritate superveniente: ita etiam in anima est duplex nitor: unus quidem habitualis, quasi intrinsecus: alius autem actualis, quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit neque dimittit habitum charitatis et aliarum virtutum, sed solum impedit earum actum. *S. TH.*, l. c.

Sicut corporis natura est sanitas; ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo

non videbitur Deus, et cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si vero sanitatis corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordi tanto sollicitior est impendenda quanto pars ista dignior illa esse convincitur. *S. BER.*, de *Tripl. bono*.

Non est verus amicus, qui deliberate vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imo, si quis non vellet adhibere curam, ne offendant Deum venialiter, hoc ipso convinceretur, non esse amicus Dei. *MANSI*, *dis.* XV, n. d.

FUGA. — Sicut si septem latrones domum tuam ingressi fuissent, et sex eiecisses, non quiesceres, donec etiam septimum eiecisses: ita non contenti esse debemus, ut unum dumtaxat alterumve peccatum animo ejiciamus, sed omnia extirpanda sunt. *STAPL.*, *tex.* v. in *Dom.* 3 *Quad.*

Sicut si mercator haberet famulum, quem adverteret fuisse cansam, ne quotidie centum millia ducatorum lucratus fuerit, eum utique domo expelleret, nec unquam amplius admitteret; ita cum sciamus, quod per peccatum ab inexplicabili luero gratia, et gloriæ celestis impediti fuerimus, merito illa a nobis expellere, et nunquam amplius admittere deberemus. *LANCIZ.*, *opus.* XVI, n. 75.

DAMNUM ET QUALITAS PECCATI MORTALIS. — Sicut pisces in lacubus seu vivariis gelu rigidissimo obductis, nihil patiuntur, sed sunt veluti insensibiles, qui tamen tunc vel maxime moveri, et agitari incipiunt, quando torrendi super prunis ardentibus in craticulis hærent; ita quoque multis accidit reprobus, in piscibus præsignatis (quos Deus a sacrificiis suis proscripsit: ) dum quomodo in hac mortali vita degunt in terris insensati, ac proinde in libro Sapientiæ ipsimet dicent: « Nos insensati » etc. ad minas, ad correctiones, denique ad flagella et supplicia iræ Dei nequicquam moventur, solum quando jam in limine inferni se positos esse conspiciunt, ad Deum se convertere nituntur, sed serius, et sine ullo fructu. *MANSI*, *dis.* II, n. 9.

Sicut qui carcerem inhabitant, semper quidem in anxietate ac doloribus sunt, sed maxime eo die quo sunt educendi, et ad ipsas fores judicantis duendi, et ante cancellos stantes, judicantisque vocem intus audientes, metu suffocantur, et nihilo meliori sunt specie, quam mortui; sic et anima ipso